

1587

C O D I C E S

1588

c. 5. verbis: *omnium principium sine causa* &c. Exemplar igitur perfectum ope utriusque Codicis confit.

DCLXXVI.

R. 3168 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 250. f. per duas columnas exaratus, coloribus distinctus et olim Coenobii *Novimontani* Ord. Cist. in *Styria* complectitur *Bartholomaei de Glanvilla* dicti *Anglici* O. M. inter praecipuos ejusdem Seculi *Φυσιογεαφες* referendi Libros XIX. de *Proprietatibus Rerum* saepius excusos, in plures linguas traductos, et non semel hic a me memoratos, in quibus omnia pro aevi genio, obtorto non raro collo, ad *Moralitatem* trahuntur, quae in praesentis Exempli marginibus sedulo adnotatur. Est illud integrum, praemisso Rerum naturalium Indice, et Prooemio auspicante: *Cum proprietates rerum sequantur substantias* &c. Ad calcem ab alia manu *Moralium Index* accessit. *Παεγγοα* sunt: 1) Tabulae anteriori adglutinata Charta data *nach christes gepurd Dremtzebenhundert Jar darnach in dem Acht vnd Newntzgißtem Jar An dem Achtißten tag nach sund Johannis tag Götztawffer*, qua *Jacobus Abbas* et *Conventus uon dem Newnperg* recognoscunt locum Sepulchri et Sacra piacularia pro se suisque fundata a *Rudolfo Schenckh zum Wolfesperig*. Testis adducitur *Nicolaus Abbas S. Crucis*, quem *Novimontani* adpellant *unser Wei-*

ser, puto, quod *Colonia Novimontana* e *S. Crucis* Coenobio deducta fuerat. 2) *Methodus cognoscendi tempus Incensionis Lunae*. 3) *Virtutes Olei Laterum* in curandis externis Corporum malis germanice enumeratae: *Wil dw van einen czigel Öl prennen daz also gut ist vnd grazze chrafft hat als der recht balsam* &c. Olei hujus etiam *Philosophorum* dicti, et ab Alchymistis olim praedicati conficiendi ratio in antiquioribus *Dispensatoriis* legitur.

DCLXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 737 XIV. Folior. nunc 69. f. per duas columnas nitide scriptus, multis tamen vocum compendiis, coloribus illustratus et quondam *Joh. Fabri Vienn.* Episcopi Opus allegoricomorale est e multis Scriptoribus ordine alphabetico congestum, cui, ut in fine *Prologi* dicitur, *Johannes summus Pontifex* nomen *Luminis Animae* imponi voluit. Incipit hic Prologus: *Summi mihi pontificis gratia fauente* &c. narratque, Autorem XXX. annis minus uno in compilando hoc Opere desudasse datis sibi in auxilium *Leone*, *Amando*, et *Seuerino* triplici lingua peritissimis, qui e Graeco in Latinum transferrent libros undique e *Gallia*, *Alemania*, *Anglia* conquistos, quorum longus textitur Catalogus. Huic Catalogo quo minus immerer, repetita facit hujus *Luminis Animae* impressio, quarum *Sorgiana Augustae* 1477. f. mihi adja-

cet,